DECRETA CONGREGATIONIS GENERALIS XIV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Habitæ Romæ à die 15. Novembris 1696. ad 16. Januarii 1697.

Occaſio, & prorogatio Congregationis.

CUM elapſum eſſet Novennium à poſtrema Congregatione Generali XIII. adeoque ex Decreto Innocentii X cogenda eſſet iterum Congregatio, hanc indixerat admodum R. P. N. Præpoſitus Generalis Thyrſus Gonzalez in diem octavam Septembris anni 1696. qui terminus erat anteacti Novennii; ſed quia inſalubris eſſe ſolet ea tempeſtate in Urbem ingreſſus, poſtulantibus multis

A Pro-

Provinciis, & ſummo Pontifice Innocentio XII. annuente, dilata eſt ab eodem admodum R. P. N. in diem 15. Novembris ejuſdem anni; qua die aderant ex omnibus ferè Europæ Provinciis, qui jus habebant ſuffragii; & ex Paraquaria P. Ignatius Frias, ex Braſilia P. Dominicus Ramos Procuratores: abſentibus P. Thoma Munieſſa Provinciali Aragoniæ, qui Parmæ graviter ægrotabat, atque ibidem non multò poſt obiit; & inſuper P. Franciſco Holgado de Herrera Provinciali Toletano cum duobus ejuſdem Provinciæ Electoribus P. Didaco de Heredia Rectore Matritenſi, & P. Antonio Portillo. Cùm autem ſpes eſſet, hos quamprimùm adfuturos, R. P. Generalis à reliquis Patribus, in conſultationem vocatis, quæſivit, an viderentur expectandi aliquamdiu, ex gratia tamen;

cùm ſine illis legitima eſſet Congregatio. Placuit omnibus, ut expectarentur, dilato Conuentu in diem 19. Novembris.

Decr. I. in M.S. Act. 1. & 2.

Die itaque conſtituta, iis, qui ſupra, fruſtra expectatis; poſt electum Secretarium Congregationis P. Michaelem Angelum Tamburinum, Electorem Provinciæ Venetæ, Rectorem Collegii Mantuani, & additos ei Socios P. Joannem Angelum Tolam, Electorem Sardiniæ, & P. Dominicum Ramos, Procuratorem Braſiliȩ ad plura, eaq; ſecreta ſuffragia; ventum eſt ad electionem Deputatorũ ad examinanda Poſtulata, electique eodem ritu de more ex Italia; P. Aloyſius Albertinus, Provincialis Neapolitanus; ex Germania P. Jacobus Willi, Viſitator, & Vice Provin-

Electio Secretarii, & Deputatorum.

cialis Bohemiæ; ex Gallia, P. Petrus Dozenne, Provincialis Franciæ; ex Hiſpania, P. Didacus Proſper Paraſcoſo, Provincialis Sardiniæ; ex Luſitania, P. Emanuel Correa, Provincialis Luſitaniæ. Mox eadem electionis formâ deputati ſunt ad detrimenta Societatis recognoſcenda ex Italia, P. Alexander Zampius, Provincialis Venetus; ex Germania, P. Ignatius Diertins, Provincialis Flandrobelgicæ; ex Gallia, P. Ignatius Tartas, Provincialis Aquitaniæ; ex Hiſpania, P. Petrus Zapata, Provincialis Bæticæ; ex Luſitania, P. Antonius de Rego, Aſſiſtens Luſitaniæ.

Decr. II. in M. S. Act. 2. & 3.

Decretum præmiſſum electioni Aſſiſtentium.

CUm electioni Aſſiſtentium duxerit Congregatio, præmittendam eſſe deliberationem, quid

quid agendum in huiuſmodi electione, quæ fit ad plura medietate ſuffragia, cùm numerus ſuffragiorum eſt impar, & aliquis uno tantùm calculo ſuperat totam ſummam reliquorum ſuffragiorum: Poſt accuratum rei examen, probarunt omnes, ut de hac electione ſtatueretur idem, quod ſtatuit Societas de electione Præpoſiti Generalis; ita ut in poſterum in electione Aſſiſtentium, ſi numerus ſuffragiorum omnium fuerit impar, is cenſeatur habere pluſquam mediam partem, cui ex duabus partibus maior obtigerit.

Decr. III. in M. S. Act. 3.

Die 23. Novembris, ultimâ Scilicet quatridui dati capiendis informationibus, quod inchoatum erat die 20. omnibus ex præſcripto Formulæ ritè ſer- *Electio Aſſiſtentium.*

vatis; euntibus ad ſingula ſcrutinia duobus Patribus Secretarii ſociis ad accipiendum in urnam obſignatam ſuffragium Patris Vincentii Grimaldi Provincialis Siciliæ decumbentis; electi ſunt in Aſſiſtentes ad plura medietate ſuffragia, eaque ſecreta; pro Italia Pater Franciſcus Guarinus, Secretarius Societatis; pro Germania, P. Ignatius Diertins, Provincialis Flandrobelgicæ; pro Gallia P. Petrus Dozenne, Provincialis Franciæ; pro Hiſpania, P. Gregorius Sarmiento, Provincialis Caſtellæ; pro Luſitania, P. Emmanuel Correa, Provincialis Luſitaniæ; & quidem ad primum omnes ſcrutinium; inſueto, & omnium approbatione excepto conſenſionis exemplo. Dubitatum eſt, an P. Secretarius Franciſcus Guarinus, ſtatim ac eſt electus, vocandus eſſet, & admittendus in Congregationem;

nem; ſed obſervato, quid actum ſit in caſu non abſimili in Congregatione XI. Decr. 10., conſtare viſum eſt, admittendum ſolùm poſt omnium Aſſiſtentium electionem. Eâ itaque peractâ, advocatus eſt; ac tum ipſe, tum cæteri Electi, ſingillatim accedentes ad menſam, ad quam R. P. N. Sedebat, flexis genibus ante Imaginem Crucifixi, præſtitere Juramentum, conceptis verbis ex Formula.

Decr. IV. in M.S. Act. 5. 7. 8. & 51.

PRimum omnium oblatum eſt à R. P. Generali Poſtulatum de inſtauranda ſupplicatione, quam, poſt tam maturam, & exactam rei meditationem, exhibendam cenſuit ſummo Pontifici Innocentio XI. Congregatio XII., ut eſt in Decreto ejus 2., quod ante etiam præſtiterat

Petenda abrogatio Decreti de Congregatione Novennali.

Congregatio XI. apud Clementem IX., ſcilicet, ut dignaretur Sanctitas ſua abrogare Decretum Innocentii X., quo jubetur Societas nono quoque anno cogere Congregationem Generalem; Placuit autem, ut ageretur per ſecreta ſuffragia, ſicut olim juſſa eſt Congregatio XII., licet enim jam non urgeret ea lex, viſum eſt tamen æquum, ei ſe conformare, cum idem prorſus negotium agitaretur. Collectis ergo ſuffragiis, conſtitit, ſententiam Patrum Congregatorum, paucis exceptis, eſſe, ut peteretur iterum abrogatio; Decretum eſt itaquè, ut libellus ſupplex offerendus ſummo Pontifici conficeretur ab iis Patribus, quibus hanc curam demandandam cenſuiſſet R. P. Generalis, examinandus deinde à Congregatione, & Sanctitati ſuæ opportunè porrigendus.

Decr. V. in M. S. Act. 9. 10. 11. & 51.

PRobato à Congregatione Poſtulato plurium Provinciarum de conficiendo quam primum Elencho Opinionum, quas Noſtri docere non debeant, tum in Philoſophia, tum in Theologia ſpeculativa, & morali; R. P. Generalis rogavit Congregationem, placeretne, inhærendo veſtigiis ſuperiorum Congregationum, præſertim XI. & XII., declarare, quantum Societas univerſa abhorreat, & ſemper abhorruerit ab omni Opinionum tam novitate in omnibus, quàm præſertim laxitate in Moralibus; Gratum habuit Congregatio tum Sanctum Patris Noſtri Zelum; & quamvis compertum illi ſit Noſtris Profeſſoribus, & ſcriptoribus tam religiosè ſancira *Elenchus Opinionum proſcribendarũ conficiendus.*

cira

cita cordi eſſe, commendavit tamen impensè eidem Propoſito Generali, ut eorum executioni invigilet; curetque confici prædictum Elenchum, communicandum Provinciis, priuſquam ultima ei manus apponatur.

Decr. VI. in M. S. Act. 15. 16. 21. 22. 24. 25.

Numerus ſufragiorum requiſitus ad Decrctum de cogenda Congregatione Generali.

CUm poſt diligentiſſimum examen judicatum eſſet à pluribus, & tandem legitima authoritate deciſum, non conſtare de valore Decreti poſtremæ Congregationis Procuratorum anni 1693. de cogenda Congregatione Generali, quòd Pars ſtatuens, eſſe cogendam, quamvis oppoſitam Partem ſuperaret uno ſuffragio, non tamen videretur reverâ conſtare pluribus medietate ſuffragiis; pro ut jus noſtrum præſcribit in For-

Formulis; Plurium Provinciarum Poſtulatum fuit, ut Congregatio decerneret, quid ad valorem hujuſmodi Decreti in poſterum neceſſariò requiri vellet: Congregatio autem poſt novam, & accuratam rei diſcuſſionem ſtatuit, ut in numero impari ſuffragiorum ad Decretum cogendæ Congregationis non ſufficiat præcisè major pars ex duabus; ſed quòd debeat ſuperare partem oppoſitam tribus ſaltem ſuffragiis; ut ſic conſtet continere plura medietate ſuffragia, ac valorem obtinere; ideoquè decrevit, id addendum eſſe Formulæ Congregationis Procuratorum.

Huic quidem Decreto interceſſum fuit ab aliquibus; ſed auditis eorum rationibus, Congregatio quoad duas ſaltem tertias partes cenſuit, ſtandum eſſe in decretis.

De-

Decr. VII. in M. S. Act. 27.

Poſtulata committenda examini variarum Deputationum.

CUm ſtatim ab electione Aſſiſtentium R. P. Generalis (cujus arbitrio id commiſerat Gongregatio) conſtituiſſet more ſolito varias Patrum Deputationes pro rerum diverſitate; quæſivit ad negotia expeditiùs peragenda, placeret ne, ut committeret ipſe hujuſmodi Deputationibus ea Poſtulata, quæ ad ſingulas pertinerent, & ſimul ediceret Patribus, ut convenirent, conferrentque inter ſeſe de rebus ad ſuas quique Deputationes ſpectantibus, relaturi ſubinde ad Congregationem deiis, quæ relatu digna judicaverint; Annuit petitioni Congregatio.

De-

Decr. VIII. in M.S. Act. 28. & 41.

SIgnificavit R. P. Præpoſitus Generalis, Provinciam Bohemicam paratam eſſe curare ſuis ſumptibus novam impreſſionem Inſtituti Societatis, & dare operam, ut exactiſſimè fieret; quæſivit itaque, an placeret oblatio; in ſuper, an cavendum, ne permittatur alibi impreſſio Inſtituti, quoad diſtrahantur Exemplaria Bohemica, à Noſtris ſponte emenda, nec carò. Reſponſum omnium fuit placere hæc omnia; & ſimul communi conſenſu actæ illi Provinciæ gratiæ pro tam opportuno beneficio Societati oblato. *Nova Impreſſio Inſtituti oblata à Provincia Bohemiæ.*

Cunque poſt modum P. P. Deputati ad Inſtitutum, & Formulas plura obſervaſſent, & ad Congregationem retuliſſent, ſive ad ordinem, quo ſingulæ partes col-

collocandæ ſint in nova impreſſione, ſive ad numerum, & molem Tomorum, ſive ad illud, quod ad id oportebit, ſpectantia; cenſuerunt Patres, rogandum eſſe Patrem Noſtrum, ut curet, omnia hæc aptè componi, adhibitis in conſilium PP. Aſſiſtentibus, ac P. Curtio Seſtio Electore Provinciæ Romanæ, quem ante ſua Paternitas Congregationi ad id propoſuerat, atque aliis Patribus Inſtituti peritis, quos judicaverit.

Decr. IX. in M. S. Act. 29.

R. P. N. leviter ægrotans, ſubrogat ſibi P. Franciſcum Guarinum Aſſiſtentem Italiæ.

Die 26. Decembris Patribus de more congregatis expoſuit ſecretarius Congregationis, R. P. Noſtrum ex præſcripto Medicorum decumbere ex levi ægritudine, cui opportunum, ac præſens remedium fore quietem, Medici ipſi judicaverant;

rant;

rant; Cùm itaque ex §. 58. Formulæ Congregationis Generalis poſſit in ſimili eventu Præpoſitus Generalis alium ſibi ſubſtituere; declaravit idem Secretarius, R. P. Noſtrum ſubſtitutum ſibi velle P. Franciſcum Guarinum, Aſſiſtentem Italiæ, ut Congregationem in omnibus vice ſui dirigeret. Occupavit ergo idem P. Aſſiſtens locum, & vices R. P. Præpoſiti Generalis.

Decr. X. in M. S. Act. 30. 31.

POſtulatum fuerat, ut Congregatio conſuleret, ne umquam apud Nos langueret ſtudium literarum humaniorum, quod tanta cum laude hucuſque coluit Societas; cuique debet tum Collegia quamplurima, tum non exiguam nominis æſtimationem, tum fructum animarum; dum hujus diſciplinæ tradendæ oc-

Inſtructio conficienda pro iis, qui literas humaniores privatim addiſcũt.

occaſione pietate, ac bonis moribus Juventus inſtituitur; Cumque varii varia in hanc rem ſaluberrima in mediū protuliſſent; illud Congregatio approbandum, ac ſanciendum cenſuit, ut Magiſtri literarum humaniorum, præter regulas, quibus diriguntur ad docendum, haberent Inſtructionem, ac Methodum rectè diſcendi, ad quam privata ſua ſtudia exigerent, etiam tunc cum aliis edocendis dant operam; Deſignandum itaque hujus literaturæ apprimè Peritum, qui tum his, quæ ad hoc aptiſſima extant paſſim in Inſtituto, tum quæ apud probatos Authores huc faciunt, Inſtructionem conponat abſolutam, atque uſui maximè accommodatam; eamque R. P. Generalis à ſe, ac PP. Aſſiſtentibus approbatam tranſmittat in Provincias, atque tum ſua, tum etiam

quo-

Congregationis authoritate imponat iis, qui literas humaniores diſcunt, aut externos docent, ut ab ejus præſcripto in ſtudiis ſuis ne diſcedant; Nec minùs, ut eam præ oculis habeant ii, qui Noſtris Rethoricam prælegunt, eoſque doceant ei methodo aſſueſcere; Rogatuſque eſt R. P. N., ut commendet ſimul omnibus enixè ea omnia, quæ ad fovenda hæc ſtudia Patres propoſuerant.

Decr. XI. in M. S. Act. 31.42.

Præceptum Silentii, impoſitum Deputatis ad detrimenta, extenditur.

Cùm à Congregatione V. decreto 3. imponatur præceptum obedientiæ Patribus Deputatis ad detrimenta cum P. Præpoſito Generali, ne cui revelent Delatorem, cumque ibi nulla fiat mentio de Secretario ejuſdem Deputationis; poſtulatum eſt, an placeret, ut ad Se-

cretarium ipſum extenderetur præceptum, cùm par militet ratio; Additum eſt, dubitationem hanc pertinere poſſe ad Vicarium etiam Generalem, & Aſſiſtentes, qui ante electionem Præpoſiti Generalis jure ſuo interſunt ei Deputationi; ad Aſſiſtentes item officio functos, quàm recens electos, qui ex Formula poſt electionem Generalis admitti poſſunt conſilii causâ; Cenſuit Congregatio, & ſtatuit, extendendum eſſe præceptum ad Secretarium, & ad omnes, qui ſivè jure ſuo, ſive conſilii causâ, vel ante, vel poſt electionem ad eam Deputationem admiſſi habebunt quovis modo notitiam Delatoris; & præcepti hujuſmodi mentionem addendam Formulæ.

De-

Decr. XII. in M. S. Act. 33. 35.

De recta Adminiſtratione rerum Temporalium.

EXpoſitæ ſunt à nonnullis communes querelæ, quod malè alicubi ſaltem procedat Adminiſtratio rerum Temporalium; cum tamen ſine his Spiritualia ipſa Societatis Miniſteria conſiſtere nequeant; Et cum Poſtulata quorumdam, inſueta Remedia excogitantium, rejeciſſet Congregatio, cenſuit, non opus eſſe novis Decretis, cùm abundè conſultum ſit per Inſtructionem, quam pro hujuſmodi adminiſtratione confectam juſſu Congregationis VIII confirmavit Congregatio IX.; Eam itaque præſens quoque Congregatio confirmat, commendans R. P. Noſtro, ut eam communicet iterum Provinciis omnibus, urgeatque pro viribus ejus executionem; Ad quam

efficaciùs obtinendam imperet, ut legatur quotannis à Rectore bis, aut ſemel ſaltem in Conſultatione coram Miniſtro, ac Procuratore, atque à Provinciali in Viſitatione coram iiſdem.

Decr. XIII. in M.S. Act. 33. 34.

Literæ Secretarii Societatis non aperiendæ.

Cùm videretur, eſſe ex mente Societatis uſus, qui jam obtinuit; ut literæ à Secretario Societatis, & aliorum ad ipſum datæ, à nullo Superiorum, Præpoſito Generali inferiorum, aperiantur, aut detineantur, rogata eſt Congregatio declarare, & quoad opus ſit, decernere, hanc immunitatem deberi prædictis literis: cum Secretarii munus ferat, ut multa pertractet ſoli PræpoſitoGenerali communicanda; Annuit Congregatio, & privilegium jam more inductum præſenti Decreto firmatum voluit.

Decr. XIV. in M. S. Act. 34. 35.

PRopoſita eſt dubitatio, an Decreto 37. Congregationis XII. de annuis penſionibus, certo alicui Societatis Domicilio applicandis, ad cujus Superiorem libera earum diſpoſitio pertineat, comprehendantur tenuiores etiam Penſiones. Congregatio, probans judicium PP. Deputatorum pro Paupertate, cenſuit, omnino comprehendi, & accipiendum eſſe univerſim Decretum illud, ut verba ſonant.

Penſiones tenuiores.

Decretum XV. in M. S. Act. 39. & 40.

POſtulaverat Provincia Toloſana decerni, in quo ſita cenſeri debeat excellentia in concionando, quam requirit For-

De Proponendis ad Profeſsionem titulo excellentiæ in concionando.

mula Juramenti in Decreto 19. Congregationis XIII., ut eo nomine quis proponi poſſit ad Profeſſionem quatuor votorum; Et prӕterea, quinam gradus Scientiӕ Theologicӕ requiratur in eo qui titulo talenti in concionando proponendus ſit; ſententia PP. Deputatorum, quam amplexa eſt tota Congregatio, fuit, ſatis clarè explicari in prӕallegata Formula excellentiam ad id neceſſariam; quique ibi ſtatutam attigerit, ſuperaturum utique mediocritatem non utcumque ſed notabili exceſſu; Neque, dum petitur, ut multa cum laude, & fructu dicere poſſit in quibuſcumque prӕcipuis Eccleſiis, capiendas eſſe eas tantùm, quӕ ſunt Summi Pontificis, aut Summorum Principum ſufficere, quӕ communi judicio prӕcipuӕ habentur in unaquaque regione, ac Provincia. Ad no-

Gradus Scie.

notitiam Theologiæ quod attinet, facilè convenit oportere, ut mediocritatem attingat; cùm eum ſaltem gradum non aſſecutus, nec omnino tutò concionari quis poſſit, nec abſolutus Concionator evadere; Quibus verò documentis conſtare oporteret de hujuſmodi ſcientia, cùm in varias ſententias abiiſſent Patres; tandem ſtatuit Congregatio, committendum id arbitrio Præpoſiti Generalis.

tia Theologiæ in his requiſitis.

Decretum XVI. in M.S. *Act.* 42. 43.

PEtierat P. Joannes Perſall Vice Provincialis Angliæ, ut quod olim conceſſerat Congregatio VIII. decr. 57. Reviſoribus Generalibus, ſubſtitutis, & omnibus, qui ex alia Provincia aſſumpti toti Societati Romæ navant operam; & Congrega-

Vox paſſiva data Patribus Provinciæ Angliæ Romæ degentibus in ſua eorum Provincia.

tio XII. decr. 45. Pœnitentiariis tam in Vaticana Baſilica, quàm in Sacra Æde Lauretana; ut ſcilicet in electione mittendorum ad Congregationem Generalem habeant in ſua eorum Provincia vocem paſſivam, loco ejus, qua gauderent in Provincia Romana; placeret præſenti Congregationi idem concedere Rectori Collegii Anglorum in Urbe, quoties erit ex Anglicana Provincia aſſumptus, aliiſque ex eadem Provincia Patribus in Collegio eodem detentis, cùm ſæpè ſint ex præcipuis Provinciæ, & non raro obſtet iniquitas temporum, ne Româm mitti poſſint ad Comitia Generalia præſtantiſſimi ejus Provinciæ Patres.

Item P. Secretario Societatis.

Addidit P. Franciſcus Guarinus Aſſiſtens Italiæ, Congregationis Præſes, videri poſſe id jure peti pro Secretario etiam Societatis, quoties tamen non eſt ex Provin-

vìncia Romana cum & ille utique toti Societati navet operam & videatur habenda ratio muneris, quod exercet. Cenſuit Congregatio, dandum id eſſe tum Secretario Societatis, tum Rectori, ac cæteris Patribus Provinciæ Angliæ ſuperiùs indicatis ob præclara etiam illius Provinciæ merita in Eccleſiam, ac Societatem. Propter alicujus tamen interceſſionem placuit explicari, datum id iis tantùm, qui Provinciæ Romanæ ſunt applicati; Cæteri enim jure ſuo gaudent ea voce paſſivâ in Provinciis propriis.

Decretum XVII. in M. S. Act. 43.

Quæſitum eſt, an, cùm proponitur aliquis ad Profeſſionem quatuor votorum titulo excellentiæ in literis hu-

Jurandum de Excellentia in literis humanioribus.

humanioribus, & quod plures annos in iis tradendis ſtrenuè laboraverit, eſto mediocriter tantùm in Theologia profecerit uti proponi poſſe permittit Congregatio VI. decr. 15. & Congregatio VII. decr. 33., tunc judicium, quod de hujuſmodi ſcientia fertur, oporteat eſſe juramentum firmatum, nec ne. Similis dubitatio erat de judicio ferendo de iis, qui excellunt in cognitione linguæ Græcæ cum ſufficienti notitia Hebraicæ, ad finem eumdem Profeſſionis quatuor Votorum; ut eſt in decreto 32. Congregationis IX.

Et de excellentia linguæ Græcæ.

Judicium Patrum Deputatorum ad Inſtitutum ſtetit pro Juramento addendo votis ferendis in utroque eventu; Sicut de excellentia in gubernando, & concionando ſtatuit Congregatio XII. decr. 24. Æquum enim eſt, ut in hac parte par ſit utro-

rum-

rumque conditio. Huic judicio Deputatorum acceſſit ſententia, & Decretum Congregationis; quæ inſuper juſſit, ut conciperetur Formula hujuſmodi Juramenti; prout factum in ſimili juſſu Congregationis XIII. decr. 19.

Cumque dubitatum eſſet, an ſufficiat ad finem prædictum peritia alterutrius linguæ, an verò requiratur utriuſque; Votum PP. Deputatorum requiſivit utriuſquè peritiam juxta menſuram ſtatam in præallegato Decreto 32 Congregationis IX. nempe, ut Proponendus excellat in Græca cum ſufficienti notitia Hebraicæ; Judicium hoc comprobavit communis omnium ſententia.

De-

Decretum XVIII. in M. S. Act. 43.

Formula Juramenti de Peritia literarum humaniorum, & linguarum.

SIcut juſſerat Congregatio decreto præcedenti, concepta eſt, & approbata hæc Formula Juramenti, præſtandi ab iis, qui laturi ſunt judicium de excellentia in litteris humanioribus, in ordine ad Profeſſionem, ut ibi:

Ego N. N. teſtem invocans Deum, cenſeo, Patrem N.N. habere præſtantiam in literis humanioribus, qualem requirit Congregatio VI. decr. 15. ut quis eo titulo promoveri poſsit ad Profeſſionem quatuor votorum.

Altera de Peritia linguarum Græcæ, atque Hebraicæ pariter approbata fuit.

Ego N. N. teſtem invocans Deum, cenſeo, Patrem N. N. excellere in cognitione linguæ Græ-

Græcæ cum ſufficienti notitia Hebraicæ; ita ut ex hoc capite habeat requiſita à Congregatione IX. decr.32., ut titulo hujus peritiæ promoveri poſſit ad Profeſſionem quatuor votorum.

Decretum XIX. in M. S. Act. 44. 45.

Ordo prærogativa inter Profeſſos eodem die.

SUper decreto X. Congegationis XIII.: ubi dicitur: Ex duobus qui Profeſſionem quatuor votorum fecerunt eodem die, ei deferenda eſt prærogativa, qui prius explevit annos Religionis, ad Profeſſionem quatuor votorum requiſitos; orta eſt dubitatio, quomodo capiendum id eſſet; an ita, ut qui prius prædictum tempus expleverit, præferendus ſit alteri, licet hic priùs adeptus fuerit omnia requiſita ad Profeſſionem; Poſt multa in hanc rem diſceptata, ſen-

ſenſit pars major, Congregationem XIII. præferre illum, qui prius explevit annos Religionis, requiſitos ad Profeſſionem, cæteris paribus. Alioqui ſtatuit Congregatio, firmandam eſſe hanc regulam, valituram tamen tantùm in poſterum; ut ex iis, qui eodem die emiſerunt Profeſſionem, ei deferatur ordinis prærogativa qui priùs aliis aſſecutus eſt omnia ex parte ſui requiſita ad Profeſſionem; ita ut ſi in Societate non eſſent fixi ad profitendum dies Purificatæ, & Aſſumptæ Virginis, priùs aliis fuiſſet profeſsus.

Et licet poſtridie interceſſerit aliquis huic Decreto, Congregatio tamen, auditis ejus argumentis, perſtitit in Sententia.

De-

Decretum XX. in M. S. Act. 47.

Doctrina Sacrorum Canonum promovenda.

Cùm noſtræ Conſtitutiones non ſolùm Theologiam Scholaſticam, ſed etiam Poſitivam, quæ Sacris Canonibus maximè conſtat, nobis non uno in loco commendent; cenſuit Congregatio, exhortandos eſſe Patres Provinciales, ut Juris Canonici lectionem, in pluribus jam Collegiis cum non modico rei literariæ incremento inſtitutam, in cæteris quoque præcipuis Provinciarum ſuarum Collegiis opportunè inſtituant; ita tamen, ut abſt ineatur ab iis Titulis prælegendis, quos R. P. Noſter, ſervatâ earumdem Conſtitutionum mente, deſignaveriit.

Decrtum XXI. in M. S. Act. 48. 49.

Procuratoris in Indiis electi jus quamdiu duret.

POſtulatum fuit, ut in gratiam Provinciarum, quæ ſunt extra Europam, definirentur nonnulla, quorum incertitudo non levia parere poſſit incommoda. Placuit Congregationi ſtatuere, quæ ſequuntur.

1 Cum accidit, ut Procurator, qui eligitur in Conventu Provinciali Romam iturus toto triennio ſubſiſtat in Provincia, defectu opportunitatis navigandi in Europam, tunc elapſo triennio, integrum ſit Provinciæ Congregationem iterum cogere, ac novum in ea Procuratorem eligere, quo electo, cadit à jure veniendi Romam, & ab officio ille, qui priùs electus fuerat.

2 Li-

2 Licet Congregatio IX. decr. 36. cenſuerit, Procuratores Indiarum, quamdiu de conſenſu Præpoſiti Generalis ſubſtiterint in Europa, jus habere ad Congregationem Generalem, unam vel plures, quas eo tempore celebrari contigerit: non ideo tamen eis conceditur, ut, poſtquam uni Cœtui Procuratorum interfuerint, aliis quoque intereſſe poſſint; cum diverſa ſint jura, ac fines Congregationum Generalis, ac Procuratorum. *Ejuſdem jus ad unam tantùm Congregationem.*

3 Dum Decreto 30. Congregationis XII. cavetur, ſi notitia de morte Præpoſiti Generalis, aut de indicta Congregatione Generali veniat in Provinciam, antequam eò deferantur literæ patentes Superiorum à Generali ante obitum expeditæ; ut nulla tunc fiat mutatio; &, ſi fiat, irrita ſit; eâ lege non comprehen- *Exceptiones Provinciarũ extra Europam.*

duntur Provinciæ extra Europam ſitæ; quem fuiſſe etiam ſenſum Congregationis XII. conſtat ex Actis ejus manuſcriptis; Provincias eaſdem exceptas declaravit Congregatio à Statuto Congregationis XIII. decr. 14., quo deciditur literas patentes ante obitum Generalis expeditas amittere ſuum robur.

Decretum XXII. in M. S. Act. 49.

De impedimento Procuratorum ex Indiis judicat Præpoſitus Generalis

DVbitabatur, cujus eſſet cognoſcere de impedimentis, quæ, ne conveniant ad Congregationem tum Procuratorum, tum Generalem, allegant aliquando Procuratores Indiarum degentes jam in Europa; hi enim ad id conſulere nequeunt ſuas Provincias, ad quas ex decreto 52. Congregationis IX. & §. 41. Formulæ Congregationis Pro-

Provincialis pertineret hujus jus cauſæ cognitio; Cumque alii aliò eos remitterent; neque certus, aut ſatis competens proponeretur quæſtionis Judex, ſenſere tandem plerique omnes, ſervandum id, quod in more poſitum eſſe ferebatur, ut ſcilicet hoc judicium eſſet unicè penes Præpoſitum Generalem, vel Vicarium.

Decretum XXIII. in M.S. *Act.* 4. & 48.

ALlati ſunt nonnulli Juris noſtri Textus, qui aliquibus videbantur ambigui, niſi apta explicatio, aut conciliatio adhiberetur.

1 Ex decreto 33. Congregationis IX., ut quis dicatur applicatus Provinciæ, ſufficit munus impoſitum ad definitum tempus, ut Provincialis, Recto- *Applicatio alia Provinciæ, alia Aſſiſtentiæ.*

ris; Ex decreto 5. Congregationis XII., ad eligendum aliquem in Aſſiſtentem, attenditur Provincia, non in qua natus eſt, & admiſſus; ſed in qua tunc eſt; excipitur tamen, niſi fortè ad certum aliquod tempus tantummodo à Prępoſito Generali addictus alteri Provinciæ fuerit; Per primum, ſufficit ad eam applicationem officium ad certum tempus, per ſecundum non ſufficit.

Non dubitavit Congregatio, agi in primo de applicatione ad Provinciam; in ſecundo de applicatione ad Aſſiſtentiam, ad quam prout majoris momenti, plus etiam requiritur; Quia tamen XII. Congregatio nihil ponit, quo explicetur hæc diverſitas applicationum, placuit omnibus, ex voto etiam PP. Deputatorum pro Inſtituto, ut decreto illius Congregationis poſt illa verba: *cenſendus autem quiſque*

eſt,

eſt, addatur, *ut dicatur ad aliquam Aſſiſtentiam pertinere ex eâ Provincia eſſe &c.* Cùmque obſervaſſet aliquis, eſſe eamdem rationem de electione Deputatorum pro Detrimentis, & Poſtulatis, Definitorum, & hujuſmodi Perſonarum, quæ ex unaquaque Aſſiſtentia eligendæ ſint in Congregatione Generali; ſtatuit Congregatio, ut de his omnibus intelligeretur additio.

Decretum XXIV. in M. S. Act. 48.

2 PRovincialis vi Regulæ ſuæ 113. poteſt mittere extra Provinciam eum, qui jus habet ad Congregationem Provincialem, causâ urgente, & approbatâ à majori parte ſuorum Conſultorum. Vi Formulæ Congregationis Provincialis §. 13. non poteſt impedire, ne ve-

Provincialis non poteſt impedire, nequis veniat ad Congreg. Provinciæ; Poteſt judicare de impedimento alium de poſito.

veniat ad Congregationẽ quempiam eorum, qui jus illud habent; & id, neque ſuâ, neque eorum ſententiâ, quos conſulere ſolet; quæ duo non videbantur cohærere. Sed approbarunt omnes judicium Patrum eorumdem Deputatorum, quod erat, Formulâ prohiberi Provincialem, ne ponat ipſe impedimentum, à ſuo arbitrio pendens, ut ſatis coſtat ex verbis Formulæ; Regulâ verò permitti, ut cum ſuis Conſultoribus merè judicet de impedimentis aliunde exortis.

Decretum XXV. in M. S. Act. 49.

Decretum 40. Congreg. XII. emendatum.

3 IN Congregatione XII. decr. 40. dicitur: *Nihil præter id, quod ad Concionatoris ſuſtentationem, aut viaticum fuerit expenſum, aut neceſſarium, accipi à Nobis poſſe, tamquam ſti-*

pen-

pendium, aut eleemoſynam in compenſationem pro miniſterio. Licet certa eſſet mens illius Congregationis, tam ſeverè in decreto immediatè antecedenti præcipientis, nequid accipiatur ſtipendii, aut eleemoſynæ in compenſationem, nominatim etiam pro concionibus; tamen, quia in decreto hoc 40. ſolitariè accepto videri poſſet, rejici quidem ſtipendia reliqua, ſed admitti ſtipendium, quod neceſſarium ſit ad iter, & ſuſtentationem; quæ vis eſt particulæ illius excipientis *Præter*, permiſit Congregatio, ut in nova impreſſione Decreti omittantur illa verba: *tanquam ſtipendium, aut eleemoſynam in compenſationem pro miniſterio.* Quibus ablatis, ſtat integra ſententia, tolliturque ſpecies omnis permiſſi ſtipendii.

Decretum XXVI. in M.S. Act. 50.

Decreta gratiarum actio Sereniſsimo Coſmo III. Magno Duci Etruriæ.

CVm non ſemel, neque à paucis commemorata eſſent iterata, & ſingularia æſtimationis, & amoris argumenta, quæ Sereniſſimus Coſmus III. Magnus Etruriæ Dux in dies exhibet Societati; & recens illud opus impensè laudaretur, quod Regio ſumptu, ac pretioſis marmoribus arte eximia elaboratum Goam ab ipſo deſtinatur in fulcrum urnæ S. Franciſci Xaverij; cumque tanti Principis munificentiæ, atque humanitatis teſtes idonei adeſſent quotquot, ad hæc Comitia adventantes, Florentiam attigerant, quos omni, ut ſolet, liberalitatis, ac benevolentiæ genero exceperat; itum eſt ſummo omnium conſenſu in hanc ſententiam, &

decre-

decretum, ut, quod in nobis eſt, Principi, tot nominibus de Societate optimè merito, darentur literæ nomine Congregationis, grati animi, atque obſequii noſtri teſtes; præſertim cum tot repetitis ejus beneficiis nondum antea Societas rependerit hoc genus gratiarum actionis; quod aliȩ retro Congregationes decreverant aliis Summis Principibus, qui ſingulari benevolentia Ordinem noſtrum ſibi devinxiſſent.

Decretum XXVII. in M. S. Act. 51.

Indultum, ne repeterentur Acta.

ABſoluto jam omnium Poſtulatorum examine, cùm graviſſimæ urgerent cauſæ moram omnem abrumpendi, placuit Congregationi indulgere, ut hac vice ſuperſederetur repetitione omnium Actorum; cùm

præſertim ad ſingulas actiones ſedulò examinata eſſent, ac probata; & reipsâ, omiſſa ea lectione, itum eſt ad ulteriora.

Cumque poſtridiè huic Decreto quidam intercedere tentaſſet; non duxit Congregatio, audiendam eſſe interceſſionem; cum ageretur de decreto, quod tranſierat in rem judicatam, & executioni mandatum fuerat.

Decretum XXVIII. in M. S. Act. 52.

Approbatio Decretorum commiſſa R. P. Generali, & PP. Aſſiſtentibus.

Die 16. Januarii R. P. N. Præpoſitus Generalis reſtitutus valetudini, ac Cœtui, quæſivit, an vellet Congregatio expectare, quoad extraherentur Decreta typis vulganda; an exemplo aliquot præteritarum Cōgregationum placeret, ut, ſoluto Conventu, extraherentur per otium, examinanda, & appro-

probanda à ſe, atque à PP. Aſſiſtentibus, nomine Congregationis, priuſquam evulgarentur; Obtinuit communior Patrum ſententia, ut committeretur hęc Provincia examinandi, & probandi Decreta R. P. Noſtro, ac PP. Aſſiſtentibus, ſoluta Congregatione; cùm non leves hanc diſpénſationem ſuaderent cauſæ; hoc enim non paucorum dierum opere protractâ Congregatione, pluribus, quibus iter erat in remotiſſimas Provincias, appetente vere, imminebant pericula viarum, ac bellorum; nec apparebat operæ pretium, cùm Decreta omnia quoad rem ipſam, ſingillatim propoſita jam fuiſſent Congregationi, & approbata.

Decretum XXIX. in M.S. Act. 52.

Finis Congregationis.

AD hæc quæſivit R. P. Generalis, an, quando jam omnia videbantur abſoluta, placeret, ut hæc eadem Actio finem imponeret Congregationi; Una fuit omnium vox, placere. Tum idem amantiſſimè affatus Patres, gratulatus eſt eis, ac Societati, Congregationem peractam ab eis, & abſolutam tantâ Sapientiâ, zelo, atque animorum conſenſione; Apprecatus eſt incolumem in ſuam cuique Provinciam reditum, oblatis ad id non paucis Sacrorum millibus. Ipſo demum præeunte, actæ ſunt Deo de more gratiæ. Dein poſt mutuas gratulationes, ac charitatis officia, ſolutus eſt Cœtus; quo ſinem habuit

buit

buit Congregatio XIV., habita Romæ à die 15. Novembris 1696. ad diem 16. Januarii 1697., Ipſam, ac Societatem regente Admodum R. P. N. Prępoſito Generali Thyrſo Gonzalez.

INDEX

Eorum, quæ in Decretis Congregationis XIV. Generalis continentur.

Abſentes.

ABſentes expectati. Pag. 1.

Fruſtra. Decr. 1. 3.

Acta.

Vide Congregatio XIV.

Applicatio.

Applicatio Aſſiſtentiæ quomodo differat ab applicatione Provinciæ. Decr. 23. 35.

Conciliata quoad hoc Decreta trigeſimum tertium Congreg. IV. & quintum Congreg. XII. Ibid.

Applicatio Aſſiſtẽtiæ in ordine ad quos conſideranda. Ibid.

Aſſiſtentes.

Vide Electio.

Charitas.

Charitas inter Patres Congregationis

nis XIV. Decr,29. 44.

Congregatio XIV.

Congregatio XIV. qua occaſione, à quo, in quem diem indicta. 1.

In quem dilata, & qua de cauſa.

Quando inchoata. Decr.1. 3.

Non protrahenda. Decr.27. & 28. 41.

Ejus Præſes. Tempus initii, & finis. Decr.29. 44.

Ejus Acta ne ſimul omnia repetantur diſpenſatum. Decr.27. 41.

Contra hoc interceſſio cur non audita. Decr.27. 41.

Congregatio Novennalis.

Congregatio Generalis cogenda ſingulis Novenniis, ex Decreto Innocentii X. pag.1. & Decr.4. 7.

Ejus abrogatio petitur in Congregatione XI. & XII. Decr.4. 7.

Decernitur, ut iterum petatur. Decr.4. 7.

Commiſſa R. P. N. deputatio pro conficiendo libello Supplici. Decr.4. 7.

Cur in hoc actum ſit ſecretis ſuffragiis. Decr.4. 7.

Con-

Congregatio Procuratorum.

Cõgregatio Procuratorum anni 1693. ſtatuit, cogendam Congregationem Generalem ex uno ſuffragio ſupra partem oppoſitam. Decr.6. 10.
Ideo deciſum eſt, non conſtare de valore Decreti. Decr.6. 10.
Decernitur, ut in poſterum ad valorem Decreti requirantur tria ſuffragia ſupra partem oppoſitam, cum numerus eſt impar. Decr.6. 10.
Addatur hoc Formulæ Congregationis Procuratorum. Decr.6. 10.
V. Suffragia.

Decreta.

Decretorum examen, & approbatio commiſſa R.P.N. cum Aſſiſtentibus. Decr.28. 42.
Idque exemplo aliarum Congregationum. Decr.28. 42.
Ne protractâ Congregatione pericula ſubeant Patres abituri. D.28. 42.

Deputationes.

Deputationes variæ de more conſtitutę à R.P.N. annuente Congregatione. Decr.7. 12.

His

His commiſſum examen Poſtulatorū. Decr.7. 12.

Doctrina Canonum.

Doctrina Canonum commendata in Conſtitutionibus. Decr.20. 31.
Prælecta in multis Collegiis cum fructu. Decr.20. 31.
Lectio huiuſmodi alibi etiam opportunè inſtituenda. Decr.20. 31.
A quibus prælegendis abſtinendum. Decr.20. 31.

Electio.

Electio Secretarii Congregationis, & Sociorum. Decr.1. 3.
Deputatorum ad Poſtulata. D. 1. 3.
Deputatorum ad detrimenta. D. 1. 3.
Aſſiſtentium. Decr.3. 5.
Mira in hac electione concordia. Decr.3. 5.
In electione Aſſiſtentium, ſi numerus ſuffragiorum ſit impar, ſervetur idem, quod in electione Præpoſiti Generalis. Decr.2. 4.

Elenchus.

Elenchus opinionum, quas Noſtri docere

cere non debeant, decernitur. Decr.5. 9.
Conficiatur ab iis, quos R.P.N. deſignabit. Decr.5. 9.
Communicetur Provinciis, priuſquam vulgetur. Decr.5. 9.
V. Opiniones.

Formula.

Formula Congregationis Provincialis §.13. conciliata cum Regula Provincialis 113. Decr.24. 37.
Formula Juramenti de excellentia in Literis humanioribus; & in lingua Græca in ordine ad Profeſſionem. Dec,.18. 28.

Gratia.

Gratiæ habendæ Provinciæ Bohemicæ pro oblata impreſſione Inſtituti. Decr.8. 13.
Gratiæ nominè publicò agendę Sereniſſimo Coſmo III. Magno Ætruriæ Duci ob ejus in Societatem merita latè expoſita. Decr.26. 40.
Gratiæ de more Deo acta in fine Congregationis. Decr.29. 44.

In-

Inſtitutum.

Inſtituti nova, & accurata impreſſio oblata à PP. Bohemis. Decr.8. 13.
Non imprimatur interim alibi. Decr.8. 13.
Qua forma, quo ordine, quibus additis, committat R.P.N. iis, quos judicaverit. Decr.8. 13.

Inſtructio.

Inſtructio decreta pro iis, qui ſtudent, & docent Literas humaniores. Decr.10. 15.
Ex quibus Authoribus, à quo, & quomodo componenda. Decr.10. 15.
A quibus examinanda. Ibid. 15.
Mittenda ad Provincias, & commendanda à R.P. Generali. Decr.10. 15.
Inſtructio pro adminiſtratione rerum temporalium, confecta juſſu aliarum Congregationum, iterum confirmatur. Decr.12. 19.
Ejus executio commendetur à R.P.Generali, & legatur quotannis. Decr.12. 19.

Iura-

Iuramentum.

Juramento firmetur judicium de excellentia in Literis humanioribus in ordine ad Profeſſionem. D.17. 25.

Idem de excellentia in lingua Grȩca cum ſufficienti notitia hebraicæ. Decr.17. 25.

Literæ humaniores.

Literarum humaniorum utilitas, & cura in Societate. Decr.10. 15.

Quærelæ de illis alicubi neglectis. Decr.10. 15.

Remedia. Decr.10. 15.

V. Inſtructio.

Literæ Secretarii.

Literæ Secretarii Societatis exemptæ à juriſdictione Superiorum minorum Præpoſito Generali. Decr.13. 20.

Mors.

Mors P. Thomæ Munieſſa.

Opiniones.

Opiniones novas, & laxas abhorret Societas. Decr.5. 9.

Ordo Prærogativæ.

Ordo inter eos, qui eodem die profeſsi

ſeſsi ſunt. Decr. 19. 29.
Quid de hoc Congregatio XIII. Decr. 19. 29.
Præferendus, qui priùs habuit omnia requiſita. Decr. 19. 29.

Paupertas.

V. Penſiones. Stipendium.

Penſiones.

Penſiones etiam tenues decr. 37. Congregationis XII. comprehenſæ. Decr. 14. 21.

Præceptum.

Præceptum obedientiæ quod eſt in decr. 3. Congregationis V. extenditur ad omnes, qui admittuntur ad Deputationem pro Detrimentis. Decr. 11. 17.

Præpoſitus Generalis.

Præpoſitus Generalis cognoſcit de impedimentis Procuratorum ex Indiis degentium in Europa. Decr. 22. 34.
P. Præpoſitus Generalis Thyrſus Gonzalez indicit Congregationem XIV. deinde cum prorogatione. pag. 1.
Ægrotans ſubrogat ſibi P. Franciſcum

Gua-

Guarinum in dirigenda Congrega-
tione. Decr.9. 14.
Reſtituitur valetudini, & Congrega-
tioni. Decr.28. 42.
Gratulatur Patribus felicem exitum Congregationis; eis agit gratias; bene precatur; pro eis offert Sacra. Decr.29. 44.

Procurator.

Procuratores Indiarum quamdiu retineant jus, ſi in Europam non ſolvant. Decr.21. 32.
Interſunt pluribus Congregationibus Generalibus; non pluribus Procuratorum. Decr.21. 32.
Procuratores Paraquariæ, & Braſiliȩ in Congregatione XIV. 1.

Provinciæ extra Europam.

Provinciæ extra Europam ſitæ excipiuntur à Lege Decreti 30. Congregationis XII. & Decreti 11. Congregationis XIII. Decr.21. 32.

Quatriduum.

Quatriduum ante electionem Aſſiſtentium quando inchoatum, & finitum.

tum. Decreto 3. 5.

Res Temporales.

Querelæ de adminiſtratione rerum temporalium. Decr. 12. 19.
Remedia inſueta reiiciuntur. Ibid. 19.
Remedia apta. Decr. 12. 19.
V. Inſtructio.

Scientia.

Scientia Theologiæ requiſita in eo, qui ob talentum concionandi fieri poteſt Profeſſus. Decr. 15. 22.

Secretarius.

Secretarius Societatis electus Aſſiſtens quando admiſſus in Congregationem. Decr. 3. 5.

Stipendium.

Stipendium nullum permittitur in decreto 40. Congregationis XII. Decr. 25. 38.
Explicetur tamen, ne appareat permiſſum. Decr. 25. 38.

Suffragia.

Suffragia plura medietate non cenſentur, cum accidit, ſuperari partem oppoſitam vnico ſuffragio. D. 6. 10.

For-

Formulæ præſcribunt, ut de cogenda Congregatione Generali agatur ad plura medietate. Decr.6. 10.

V. Electio. Congreg. Procuratorum.

Talentum.

Talentum concionandi quantum requiratur, in ordine ad Profeſsionem. Decr.15. 22.

Vox Paſſiva.

Vox Paſsiva conceditur Patribus Anglis, Romæ in Collegio Anglorum detentis. Decr.16. 23.

Eam habeant in ſua Provincia, loco illius, quem haberent Romæ. Decr. 16. 20.

Idem, & eodem modo conceditur P.Secretario Societatis, cum non eſt ex Provincia Romana. Ibid. 20.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE